HENRICI DETHARDI,
FRISII.

SUADA
SILENS ET LOQUENS,

Publicè
IN ILLUSTRI ACADEMIA
Marpurgenſi
Exhibita
ET
Recitata
In Collegio JCTORUM ad Lanum,
Ipſo Die JOHANNIS
Baptiſtæ.



MARPURGI,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII,
Academ. Typographi.
Anno M. DC. XLVII.

Digitized [illegible]

Auditoribus Academicis Salutem.

Et perennantem in Domino IESV felicitatem.

DE Academicis ætatis ſuæ jam olim Robertus Franciſcus Romulus Bellarminus (nam hoc triplex nomen è luſtrali fonte retulit , quanquam Roberti tantùm nomen inter uſitatas appellationes perpetuum illi adhæſit, propterea quod fuerat à Roberto Puccio Cardinali Florentino è ſacro fonte ſuſceptus) talem texit querelam : De choreis , ſaltationibus & aliis illecebris effrenis juventutis nihil eſt , quod dicamus : Quis enim ignorat, multos eſſe,qui Lovanium veniunt , ut Doctores fiant in jure , & fiunt Doctores in choreis & in gladio? Quàm multi ſunt,qui cum ad Parentes ſuos redeunt, ſi quæratur ab eis , quid Lovanii didiciſtis ? Reſponſuri ſunt , ſi verum dicere velint: Didicimus vagari totas noctes per plateas ; didicimus ſtricto gladio bellum gerere cum lapidibus; didicimus varia & multa genera chorearum ; didicimus uno hauſtu bibere medium poculum ; didicimus pecunias noſtras,quæ unum menſem duraturæ erant,unâ horâ conſumere. Præclaræ profectò ſapientiæ &c. Sanè nemo pius ibit inficias, Academias eſſe Theſaurum ad conſervandas humaniores literas & politiores diſciplinas; ad retinendam optimarum linguarum cognitionem; ad ſementem prudentiæ aciendam ac faciendam ; ad omnium honeſtarum actionum veræq; virtutis exercitium adſiduum ; juſtitiæ adminiſtrationem,propagationem veræ de DEO Doctrinæ veriq; cultus divini , comparatum,

 unde;

unde, quod imitemur, à teneris imbibamus; unde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitemus; ubi non corpora caduca & vermibus obnoxia, temporali tabe languētia cibo ac potu mox perituro reficiuntur atq; foventur, ſed Religionis, pietatis, omnium virtutum ſtudiis immortales educantur, nutriuntur atq; informantur animi, efficiunturq; Sacerdotes, quorum ſcientia ad inſtitutionem vitæ erga Deum & homines, publicè & privatim, rectè peragendæ, & ſalutis in vera electorum Dei & Christi ſui Eccleſia ſemper duraturæ comparandæ totus illuminatur orbis, Ulpiano JCto & Friderico Imperatore oculatiſſimis & omni ſuſpicione teſtibus majoribus. At verò oculos paulìſper coniiciamus in Academias pleraſq;, mentior, niſi ambigamus, cætus illuc Studioſorum; an confluges vitiorū? Seorſim enim quiſq; ſuas adfert culpas: quas, mixti vulgant, & velut contage tradunt invicem animorumq; morbos trahunt. Quin ut flumina per ſe dulcia, cū in Mare veniunt, ſalſuginem attrahunt: Sic perſæpè Studioſi haud mali ex ſcholis trivialibus, ut vocant, in Academias redacti, tactu inquinantur & mixtione. Illic inobedientia, ſuperbia, luxus in veſtitu, libido, propriè habitant, & fons omnium vitiorum depudere, ut vel maximé illud Biantis verum ſit: οἱ πλεῖστοι κακοί.

Non eſt mens, nec voluntas mea unquam erit (Deum teſtor) Studioſorum quenquam lædere; ac tanta innocentiæ hujus eſt fiducia, ut non recuſem, bonorum omniū totiuſq; poſteritatis ſubire judicia. Vitia quædam reprehendo, hoc eſt, tela in altum mitto, ſed quæ ſine offenſione aut vulnere cadant, niſi quis accurrat & excipiat. Quiſquis ille erit, tam iniquæ interpretationis auctor, malè de me & Academiâ noſtrâ merebitur. Faciet ipſe vulnera &

infliget;

infliget; quæ oſtendet,& ut ſuam vindicet,injuriam Academiæ inferet. Torqueat ſe malignitas , turbet quantum poſſit,ego tamen Studioſorum commodum,ubicunq; occaſio,adſeram. In omni Academia defectus ſunt,vitiaq; increbreſcunt,quæ (ferè enim ita fit) mores jam vocantur, nec in veniam modò veniunt,ſed laudem:& quemadmodum in magno hominum cætu non omnes nobiles , ſic non omnes boni,itaq; non ego Studioſos percutio , ſed ſi quæ inter tot virtutes vitia plebeja ſuccreſcunt. Mentis ornamenta Academia docet,dedocet nævos.

Non ideo increpat,ut lædat,nec ideo caſtigat , ut noceat diſciplina. Miſcet lenitatem cum ſeveritate,& ex utraq; quoddam facit temperamentum , ut nec multâ adſperitate exulcerentur Studioſi , nec nimiâ benignitate ſolvantur. Optimè novit,Studioſis in ludo literarum poſitis (ut de ſuo id mihi largiatur, *Iohannes Conſtantinopolitanus*,mellitiſſimus ille Concionator Chriſtiq; præco indefatigabilis , cui jure optimo ob eloquentiſſimam ſapientiam & ſapientiſſimam eloquentiam *Chryſoſtomi* ſive oris aurei cognomen , poſt ejus exilii labores,tributum eſt ; in quo DEUS abundè videri voluit,quid poſſet vitæ ſanctitas cum vi dicendi conjuncta ; cujus ſuavitatem Antiocheni admirati ſunt ; majeſtatem Byzantini ſuſpexerunt ; vim Principes & Auguſtæ timuerunt; omnis ſeculorum coluit & colit memoria, *in Prologo ſuper Matthæum*) non tam placere ſolida,quàm picta,quæq; potiùs pulchra, quàm utilia ſectantur: nec tam agentia diligere,quàm ſonantia,magis gaudere foliorum amœnitate conſpergi , quàm fructuum ubertate nutriri. Sed hos nemo excuſabit, niſi ſit ipſe dementiſſimus. Diligentiùs ibi conſervanda eſt diſciplina,ubi neglecta,pluribus generat ſcandalum. Facit hoc,& pro

munere ſuo porrò faciet Academia, niſi quis putet, virtutem aut elegantiam adulari vitiis omnibus. Tantum dolet fatum hujus ævi noſtri, quo jacent & vilent omnia ferè, quæ olim honeſta & magna. Speramus tamen levamentum aliquod, aut emendationem, Deumq; votis ardentibus precamur, ne nobis auguria perficiat, quæ in triſti mente.

Hæc omnia benè conſiderat Vir Eximius & præſtantiſſimus Dn. HENRICUS DETHARDUS, Friſius, amicus noſter honorandus, de quo illud poſſimus πεπλασμενον ἐκ Διος ἀγρος. Nam benè in Academia utitur conditione, utitur ſimul annis, qui fugiunt, nequaquam reparandis. Vindicat ſe ſibi, & benè perpendit, magnam vitæ partem elabi malè agentibus, maximam nihil agentibus, totam aliud agentibus. Nil ipſi prius, nec antiquius eſt, quàm ut ſummâ cum diligentiâ & virtute ſtudiorum curſum perpetuum atque conſtantem, nullis intermiſſum ludis, neq; vanis oblectationibus, nullis laboribus, neq; vigiliis fractum, tandem feliciter & laudabiliter abſolvat.

Qui ſit, & ubi ſit cogitat. Rectum iter tenuit ſemper, idque laudi vel maximè tribuendum, inter tot ſcopulos & vada: cujus virtutes, doctrinam & illuſtria ingenii, linguarumq;, tam orientalium, quàm occidentalium, dona, poſtularent equidem prolixè & meritò hoc Programmate publico commendari. Sed id neq; res aut uſus poſtulat; neq; illius modeſtia deſiderat, neq; chartæ anguſtia permittit: cum partim antehac publicè excellens ejus eruditio innotuerit, partim ipſe hodiè horâ oratione perquàm doctâ & eleganti SUADAM SILENTEM & LOQUENTEM producturus, & voce velut animaturus ſit. Docebit, & loqui, & tacere, perfectionem eſſe, nullamq;

virtu-

virtutem difficiliorem, quàm tacendi. Demonſtrabit, ſilendi patientiam & loquendi opportunitatem maximum virtutum eſſe fundamentum, optimumq; ac tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum. Inculcabit, taciturnitatem in dicendis, in tacendis locutionem, peccatum eſſe, diuq; conſiderandum, quid loquendum ſit, & adhuc tacentes providere debere, ne quid dixiſſe pæniteat. Deniq;, ut non ſolùm delectet, ſed etiam ſine ſatietate delectet, confirmabit, verum eſſe, quod Divus *Ambroſius*, Sanctiſſimus Mediolanenſium præſul, qui & inter IV. Cardinales Eccleſiæ Catholicæ Doctores computatur, quodam in loco habet: *Quam plures vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quenquam tacendo: Idemq; tacere noſſe difficilius eſt quàm loqui. Scio loqui pleroſq;, cum tacere neſciant. Rarum eſt tacere quenquam, cum ſibi loqui nihil proſit: Sapiens ergò eſt qui novit tacere.* Ad hunc itaq; Virum audiendum *Magnificum Dn. Rectorem Per-Illuſtres & Generoſiſſimos Dnnn: Comites plurimum Reverendos, Ampliſſimos, Conſultiſſimos, Experientiſſimos, Excellentiſſimos & Clariſſimos Dnn. Profeſſores, cæteroſq; Doctores, verbi divini miniſtros, nec non Iuventutis Nobiliſſimæ indies magis magiſq; efflorescentis coronam*, quàm poſſum, ſubmiſsè, officiosè, peramanter, oro, invito, hortor, ut hodiâ horâ x. in Auditorio Juris Conſultorum haud gravatim frequenter convenire, præſentiâ ſuâ Magnificâ, per-Illuſtri & honorificâ recitationem Orationis hujus (quæ quidem parva mole, at magna ſenſibus, plena Sententiarum gemmis, & inter eximias referri poteſt) illuſtriorem reddere, eiq; vacivas aures ac placidas mentes præbere haud minùs dignentur. Rem facient Academiæ noſtræ honorificam, ſibi ipſis haud gravem, Nobiſq; iterum debita omni obſervantiâ & prothyma officiorum exhibitione compenſandâ.

Niſi

Niſi me corona faventium fallit, præſtabit, quod non omnes ſolent Oratores. Orationem totam curioſâ rerum varietate ita diſtinguet, ut videri poſſit ipſi Tullio non diſplicere. Ex Auditorio pedem, ſcio, haud efferet, & ecce, certatim plures accurrent; Quiſq; exemplar ſibi poſcere, quiſq; laudibus in cœlum *Suadam Silentem & loquentem* tollere.

Non negabit oculis delicias, quas auribus dabit: Valete. Marpurgi Cattorum Anno Juliano-Dionyſiano M.DC. XLVII. 8. Calend. Quintil. ipſo feſto JOHANNIS Baptiſtæ, qui Zachariæ Sacerdotis (quem malè è Patribus, *Auguſtinus, Ambroſius, Beda, Bernhardus, Euthymius* &c. Summum Pontificem fuiſſe adſeverant) ex *Ephemeria Abia* filius fuit, ORTU admirabilis, DOCTRINA cæleſtis, VITA venerabilis & aſper, MORTE Martyr glorioſus.

M. DAVID CHRISTIANI,
Pomeranus, Mathemat:
& Eloquent: Profeſſor
Ordinarius.

CUM

CUM DEO!

INore omnium eſt, & res ipſa docet: Nullam rem eſſe tam facilem, quin fiat difficilis, ſi invitus facias. Audivi, qui alterum ſentirent: nihil eſſe adeò difficile, quin fiat facile, ſi volens libensq; facias. Neq; verò etiam huic opinioni refragabor, ſive potius ambas inter ſe committam; Neutrum enim ad id facit, quod nunc ago: Etſi utraq; eò, quò volo, mihi iter pandit. Sic autem exiſtimo, eſſe in illis quoq;, quæ cupidè aggrediaris, & per ſe ſint facillima, difficultatis ſæpe non parum. Mihi id cum aliàs antè non rarò, tum nunc uſu venit, Video Clariſſimum Ampliſſimumq; Dominum Rectorem Magnificum: *Video* Illuſtriſſimos & Generoſiſſimos Dnnn. Comites, Dominos meos gratioſiſſimos: *Video* Generoſum & Præſtrenuum Dominum Capitaneum: *Video* Proceres Academiæ graviſſimos: *Video* Dnnn. Comitum Ephoros & informatores ſpectatiſſimos: *Video* Hoſpites & Auditores Studioſiſſimos, *in hunc ampliſſimum locum Orationis hujus audiendæ causâ confluxiſſe. Negotium facile & alius dixerit & ipſe credidi, qui oratoriis aliquantiſper vocavi (quod neq; multum eſt, neq; nihil tamen) de re quadam aliquid in Illuſtriſſimo hoc conventu, nec invito nec reluctante animo, dicere: Attamen dum id cogito, curâ non vacat animus difficultatis teſtis locuples: Ac quamvis ſollicitus, vix tamen effugero, quò minus vel importunè, vel inſolenter, vel abjectè, vel nimis blandè, aliquid dixiſſe videar. Animus erat*

A de tem-

de tempore,in quod reſervati ſumus,luctuoſiſſimo,de turbis, galeis & enſibus verba facere: Animus erat,de moderna bonarum literarum cultura dicere: Animus erat imitari hoſpitem illum Chalcidensē,hominē & bonū,& ſcitū Convivatorē, Bern. in Orat. qui Tito Quintio Flaminio *ferculorū varietatē & lautitiā miranti,& eccunde ei ſolſtitiali illo anni tempore,tam multa tamq. diverſa caro ferina ſuppeteret,quærenti regerebat: Ex manſueta ſue fercula omnia facta; Cæterùm varietatem illam & carnis ferinæ ſpeciem è condimentis & paratura diverſa natam , ita* Livio *&* Plutarcho *memorantibus: Ita ad eundem,dico,modum,animus erat argumentum aliquod ab aliis pridem occupatum deligere & verſo ſtilo mutatisq. verbis,tanquam conditura,commendare. Verum, A. revocato ad rationem judicio,*

Omnia hæc vulgata

Vt Poëta verbis utar. Quis namq. Imperii hujus ἀταξίας *& confuſionis? (quid opus eſt verbo leniori publicum ulcus abſcondere?) Quis hujus concuſſi orbis motus ſine anxio triſtitiæ ſollicitudinisq. morſu recordari? Quis non cùm Homerico illo Iove* αἱματοέσσας ψιάδας *deſtillare poſſet? Ardet, quod omnes cernimus, Germania bellis inteſtinis,& alienatis inter ſe Ordinū ſtatuumq. animis , ipſa ſe ipſam excarnificat , ut ſtilos in gladium porrigere neceſſe potius ſit, quàm enſem in ſtilos dividere. Vigent ſuſpiciones,odia,inimicitiæ; ſeditiones,vaſtitates,miſcentur omnia,& nihil, ut & in græco verbo,* ſani *in ſocietate hominum relinquitur. Ita miſeriarum meſſis eſt uberrima , quam nimium quantum deplorare vetamur à Sapientibus , quum præſertim omnibus iſtis querelis apud bellaces & bellicoſos,nihilo plus proficiatur,quam ſi (quod* Comicus ait*) ad ſepulchrum mortuo jocum dixiſſetis, aut* Hylam *iſtum nugatorium inclamaſſetis. Nec ſcio etiam,quàm rectè; vel ſcio potius non rectè fieri , ut accuratius calamitates noſtras perluſtremus,recenſeamus,&*

Digitized by Google

mus, & earum momenta fortè etiam non ita æquâ lance ponderemus. Nec ſatis ſcio, an conſideratio humanæ miſeriæ magis adaugendum dolorem faciat, an ad minuendum. Videtur quidem utrumq; fieri: Etenim qui in mala, quibus terra eſt repleta, & ipſum etiam mare non falsò dicitur, ita intenti ſunt, ut animum ab iis aliò non vertant, illos, eorum multitudine opprimi & perire nec mirum eſt, & prorſus neceſſarium; Qui ea ita contemplantur, ut communia nobis cum omnibus eſſe cognoſcant, noſq; hac conditione natos; Illi conſolationem aliquam tenere mihi videntur. Quarum conſolationum abundantiſſima copia diligenti conditionum humanarũ conſideratori hinc inde ſuppetet, neq; iis adducendis ego nunc hanc Cathedram conſcendi. Cui præterea non eſt notum quamplurimas eaſq; luculentas de omni ſcientiarũ artiumq; genere ubiq; fuiſſe habitas Orationes. Univerſus materiæ Oratoriæ lucus ita ſucciſus & exciſus eſt, ut arbuſcuam ad exſtruendam Oratiunculæ qualiſcunq; caſam ſibi vix relictam quis pronunciare poſſet. Et licet varietatem etiam admittat dicendi ratio, novitatis tamen opinionem vetuſtis induere non auſus fui, illud imprimis conſiderans diligentiuſq; exputans, vos eſſe Auditores ſcitiſſimi palati minimeq; naris obeſæ convivas, utut condimentis dolum conarer abſcondere, ſtatim tamen ſenſuros; cibis obſoletis recentiorem ſaporem conciliari. Viſum itaq; fuit candidius agere, materiam eligendo non novam quidem, at hodierno tempori & loco aptiſſimam & accommodatiſſimam. Quin imò dicã de re nova; Omnes enim qui eam ſciunt, neſciunt tamen nec attendunt. Plurimum autem, ut inquit Clariſſimus illæ Romanæ Sapientiæ Sol Seneca, prodeſt etiam aperta monſtrare, ut non tantùm nota ſint nobis, ſed etiam parata. Et ne exſpectationem veſtram diutius ſuſpenſam teneam, A. materiam paucis dicam, producam & exhibebo vobis.

Suadam Silentem & Loquentem.

Favete, A. & benevolentiâ veſtrâ, quam ex tacita vultuum veſtro-

veſtrorum ſerenitate inſigniter colligo , *Orationem hanc meam ſublevate. Dicam, non verbis ad legem compoſitis, neq; admodum ornato tractationis delectu, ſed ut aliud ex alio in mentem incidit cogitanti. Nec tam ipſe laborabo, ut hac parte vobis placeam, quàm ut vera referenti aſſentiamini: Siquidem penes rem ipſam ſumma eſt auctoritas, neq; ingrata bonis eſt à quocunq; profecta veritas. Hujus ego luce, non alienis pigmentis illuſtrabo, quæ perſequar, nullum lædens niſi inſcitiam, ac niſi ipſi ita exiſtiment, ne inſcitiæ patronos quidem, quibus volupe eſt modò hujus arrogantiam, modò illius inconcinnitatem, modò alterius nimiam lepiditatem accuſare pergite vos Auditores acquieſcendo; ego perorando. Arduum eſt, A.* in omni vitæ genere ſic ſe gerere ne impingas, magnumq; Dei donum, valere ſenſu communi & judicio naturali, *ut inquit in rebus* Ludovici XI. Galliarum Regis *ſummi judicii Scriptor* Cominæus. *Non ibo longius: Ardua doctrina eſt, primùm* Suadæ ſilenti *navare operam*, *poſtea* loquenti. *Multi incipiunt loqui, & neſciunt deſiſtere, non aliter, ac ſi primi artifices motum perpetuum inveniſſent. ita Orationi ſuæ finem imponere ignorant. Ac licèt fieri non poſſit, quin aliquando verbum audiant: non tamen diu patientes ſunt audiendi, ſed ſi qua acceperint, refundũt ſubitò, ut in æſtu*(a.)*maris fit, quod ubi exæſtuaverit in littus, aut in mare ſe exonerantes fluvios, paulò pòſt fit illius æſtus in mare reciprocatio: Ita ſi quid acceperit nugator, ſine mora quaſi regurgitat, càpite ſubinde titubat, os diſtorquet & ſputo (ſit honos auribus) faciem, quibus cum ipſi ſermo, non rarò aſpergit.* Plutarchus *eum comparat cum multiplici refractione Soni, quæ fit in porticu* Olympiæ, *quam ob id* heptaphonon *appellant,* (b.)*quoniã ſepties eadem vox redditur. In univerſum autem qui* Suadam ſilentem *non colunt, primum ridiculo ſunt cæteris,*

(a.) Hæc eſt πλημμυρις, altera αμπωτις. Sic Dionyſ. ἐν περιηγησει de mari Thyrreno loquitur.

(b.) Pauſan. & Plin. l. 46. c. 15. l. 2. c. 44.

quando

quando nugas admodum frivolas & perſæpe tales, quæ alteri ruborem incutiunt, narrant, quorum cognitio nihili eſt, & cognoſcendarum cupiditas nulla aut parva. An non ridiculo eſt, qui juxta hominem ignotum aſſidens in cœna primum uxores ſuæ laudes ei refert? Deinde quid ſuperiore nocte in ſomniis viderit narrat? Tum quæ fercula habuerit in cœna, ea ſingulatim commemoret? Poſtea procedente negotio dicit, noſtri ſeculi homines multò eſſe ſceleratiores priſcis, & carum fuiſſe triticum in foro, & multos diverſari in orbe hoſpites & ſi quæ ſunt alia, quorum enumeratio ſemper cum curioſitate conjuncta eſt, & eapropter duntaxat perficitur, ut ex iis aliquam vocem & benevolentiam eliciant, quemadmodum ab adulatoribus fieri videmus, qui magnâ orationis libertate adoriri ſolent heros ſuos, cumq́ hac in eorum animos inſinuant adulationẽ, adeóq́ libertate ipsâ adulantur. Riſune digni ſunt, qui quaſi orationẽ ſuperdicenda ſalute inſtituunt, (c.) *adeò ut obviã facto graviores multò ſint, quàm gratiores negotium aliquod gerenti. Odimus deinde eoſdem, quòd liberè interdum, ceu gratulabundi, calamitates nunciant, cum alioqui memini gratus ſit triſtis adverſaq́ rei nuncius, ut eſt apud* Tragicum: Στεργει γαρ ουδεις αγγελον κακων επων. *Non igitur* Suadæ *litat* ſilenti, *qui in funere uxoris vel liberorum de nuptiis, inter epulas de ſuppliciis & carnificina, de tragicis caſibus de horrendis ſpectris nugatur,* (d.) *quorum narrationibus animi præſentium avocari & perturbari animadvertimus. Pauci enim ſic ſunt affecti, ut talibus non commoveantur. Sanæ mentis homo, aut ejuſmodi reticet, aut ſi aperire neceſſe habet, invitus & pedetentim accedit ad negotium, ut non tam eâ narratione explicare, quàm dolorem oſtendere, & conturbatos oratione erigere videatur, quæ ſunt animi & prudentis hominis officia. Poſtremò etiam cum periculo conjuncti ſunt, quia arcana continere nequeunt. Quocirca* Anacharſis à Solone *convivio exceptus &*

(c.) Vide exempl. in Scupp. Orat. inepto.
(d.) Harpocrates Hyppolitiá Collibus.

 deinceps

deinceps dormiens ſiniſtram pudendis dextram ori admoviſſe viſus fuit: Lingua enim conſtrictiore freno opus eſſe judicavit, adeòque rectè ſentiebat. Neq; enim facilè tot viros quis enumeret, qui incontinentiâ veneris periiſſent, quot urbes & imperia ſermo arcanus proditus evertiſſet. Magna ſurgeret dicendi ſeries, ſi exempla eorum, quibus nugatio damnum nec rarò exitium attulerit, proferre nunc vellem. Illis proinde grata brevitatis causâ relictis, videte modò, quæ in oculos omnium cadunt, in communi vita, quomodo Suada ſilens *colatur: Videas qui de genere & familia ſua magnificè nugantur, & à Majoribus ſe ornari volunt. Produnt hoc ipſo vel ignobilitatem, vel vilitatem animi ſui: Non enim è mortuis majores excitarent, ſi ipſi illorum eſſent ſimiles, quos jactant, & quos alii quoq; prædicatione ſingularium laudum dignos cenſent. Nugatorium hoc eſt, & opinione tantùm pulchrum, gentiles plurium ſeculorum quaſi ſpectandos exhibere: præſertim ſi quis in hoc ſummum decus eſſe aſſerat: Reipsâ verò pulchrum ſic virtute præſtare, ut Principem cujusq; gentis præſtitiſſe arbitremur. Qui majores aliis nugando narrant, ut ex illis verè magni habeantur ſine ſua præſtantia, æquè mihi facere videntur, ac ſi ex poſteris* Craſſi *inops aliquis Craſſi divitias jactet, quarum ne ſexterum in hereditate habeat, aut ſi ex minoribus* Tulliis *infans ſuam eloquentiam exiſtimari velit, quod Tullius exſtitiſſet* diſertiſſimus Romuli Nepotum, *ut Poëta verbis utar: Videas, qui terrâ mariq; iter fecit, de iis locis, quæ vidit, de hominibus, quibus cum fuit, non narrantem fideliter, ſed nugantem; Uti, qui ſacram navigationem inſtituit, de* Ægypto, *de* Syria, *de* Hieroſolymis *(e) qui cum Hiſpanis novum urbem viſit, de* Peruinis *& aliis populis; Alius de* Thule, *de* capite ſummæ Spei, *multa contra rei veritatem nugatur, & ut Poëta verbis omnia complectar,*

(e.) Plut. in Sympoſ. l. 2. probl: 1.

Navita

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

In his primum locum Viri militares *tenent, quibus in more poſitum eſt, ut ſubinde pugnas narrent, militiæ ſtrategemata, excidia urbium, vaſtationes provinciarum, præſertim, ubi ipſi vel interfuerint vel aliquid deſignarint:* Homerus *non tantum Poëtarum, ſed etiam doctrinarum omnium Princeps talem facit* Neſtorem*, utpote ab adoleſcentia militem, poſtea Virum ſenatorem factum, res â ſe geſtas narrantem & deliberationum exempla proferentem; Vt* Theſeo *& ſuperioris ſeculi Heroibus conſuluerit, & cum ipſo adverſus communes hoſtes bella fortiter geſſerit; ut* Ereuthalionem *trucidârit; Vt* Itymonem *jaculo interfecerit; ut ſe ipſum pluribus antepoſuerit; ut caſtu* Clytomedem, *luctâ* Ancæum, *curſu* Iphiclum, *haſtâ* Phyleum *&* Polydorum *vicerit. Et tamen fatetur ſe ab* Actorione *ſuperatum bigis: Sic enim nihil finxiſſe putetur in cæteris, nec videatur jactabundus & modeſtiæ expers. In negotiis civilibus etiam* Suada Silens *parùm colitur; Siquidem ex conſideratione fortunæ & conſiliorum, ex narratione orationum & actionum ſuarum ambitioſam ejuſmodi homines capiunt voluptatem: jucundum enim ſupra modum meminiſſe laborum, quos pridem ſuperaveris. Quæ animi lætitia quemvis narratorem Comico pervigilio facit loquaciorem. Deſeritur* Suada Silens *ab Amatoribus:* Amatores *præter ſuos amores nihil in animo, nihil in ore habent, nō ſolum ad alios, quando videlicet ſuas ſcortationes & adulteria tanquam heroica facta recitare gaudent, ad exemplum* Proculi *Imperatoris qui paſſim gloriari ſolebat, ſe centum ex* Sarmatia *Virgines cœpiſſe, ex his una nocte decem iniviſſe, omnes tamen intra dies quindecim mulieres reddidiſſe. Sed etiam ſoli, adeò ut quidam etiam inania compellant, quod teſtantur verſus* Menandri *quos* Plutarchus *allegat:* Aliquis inquit, ô care lectule! *in quo, ſcilicet, cubavi.* Alius, ô felix Lychne,

Lychne, aljus aliter, prout nimirum quilibet memoriam ſuarum deliciarum repetat. Et quum dicant, eſſe dulce in amore loqui, ideo omnem nugandi culpam in amorem conferunt: Loquor de iis, A. qui temerè amoribus ſuis fœdis obſequuntur, Qui incontinenter ſe gerunt in omnibus cupiditatibus: Virtuoſi verò & ipſi cupiunt formoſas mulieres, uti loquitur in Cyropædia Xenophon, facilè tamen queunt abſtinere, ne quicquam contingat ſecus quàm juſtum & decorum ſit, cùm in ſermonibus, tum in actionibus. In ipſorum poteſtate poſitum eſt amare, quos ipſi velint: Proinde neq; frater ſororem amat, ſed eam alius, neq; Pater filiam, ſed & hanc alius. Etenim metus & lex ſatis valent ad amorem compeſcendum. Quod itaq; in milite glorioſo apud Plautum ait Periplectomenus (namq; hominem ſervũ ſuos domitos habere oportet oculos & manus orationemq;) hoc & ad ſervum & ad liberum pertinere exiſtimandum eſt. Quod ſi præterea Cælum ad hauſtus largiores invitaverit, & vino aliquantulum incaluerint homines, tum Suada ſilens exploditur, tantùm non relegatur. Etenim quod in corde eſt ſobrii, id in lingua ebrii, ut proverbio dicitur: Audias ibi quemlibet de ſuæ diſciplinæ inſtitutis inter ſe græcè, latinè, aliisq; linguis nugantes, mulieribus & idiotis præſentibus, nihil curantes, etiam ſi ſint ἀπροσδιόνυσα, inq; ſuum locũ reſervanda potius, ubi grata ſunt. Memoratu non indignum eſt hoc loco illud, quod de Biante refert Plutarchus; Cum inter pocula taceret, & â quopiam nugatore carperetur, ut homo nihili: Ecquis, inquit, fatuus in vino taceat? & illud de Zenone, cum is legatos regios convivio exciperet, ad ipſos viros adeò graves accerſendos cenſuit Philoſophos. Cum verò cæteri inter ſe ſermones conferrent, & ſymbolas darent, ſolusq; Zeno quieſceret, ibi amicè compellatũ & invitatum hoſpites: Quid de te, ajebant, Regi referemus Zeno? at ille, nihil aliud, inquit, niſi Senem eſſe Athenis, qui ſibi poſſit imperare, ut in poculis taceat. Sanè, A. non ita rep e henderetur, quod bibimus, ſi inter bibendum ſervaretur decorum ſilen-

Digitized by Google

ſilentium: Inepta enim & ſtulta oratio uſum moderatum vini in ebrietatem vertit, quam Philoſophi definientes ajunt eſſe nugacitatem in vino, *& hac, eodem* Plutarcho *teſte, ex tribus malis, quæ ſunt in vino, gravisſima eſt. Primum enim malum in eo eſt, quòd graves etiam viros, nonnunquam excitet ad cantillandum, quod adoleſcentia liceat, nec in aliquo de media plebe reprehendatur; Alterum; quod invitet ad laſcivorem riſum & choreas laſcivas, in quas etiam Senes trudit, ut eſt in græco verſu:*

Οινος ανωγε γεροντα, ϗ ουκ εθελοντα χορευειν:

Tertium verò turpe eſt, & non parum ſecum affert periculi. Exprimit enim vinum, quod tacitum fuerit ſatius. Tum ſcurrantur tum ludunt in turpibus, tum convitium præſenti faciunt, tum abſenti maledicunt, tum arcana detegunt. Quod vino ſecreta eliciantur, ideo lene tormentum *appellavit* Lyricus. *Vino enim & irâ obruti facilè effutiunt quod cælatum oportuit.* Onerati mero, *ait* Seneca, quemadmodum non continent cibum redundante vino: ita ne ſecretum quidem ſuum alienumq;. *Itaq; & Reges hoc indice eorum animos explorant, non ſolum è quibus arcanum velint elicere, ſed etiam quibus uti fortè aliquando in animo habeant: Quod eleganter quoque oſtendit idem* Horatius.

> Reges dicuntur multis urgere culullis,
> Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant
> An ſit amicitiâ dignus ——————

Quod ſi in vino nihil omnium fiat, quæ dixi, ipſa nugatio ſatis magnum, etſi ſuave, malum eſt, indignum ſapiente ſive acri virtutis cultore. Exulat Suada ſilens *non in vino & conviviis tantùm, ſed etiam in* conviviis ſine vino: Tonſtrinas *puto.* A. *quas per jocum ita appellavit* Theophraſtus, (f.) *quòd perpetua in iis ſit nugatio: Cum Regi* Archelao *loquax tonſor linteum humeris*

(f.) ασοινα συμποσια.

iniiceret; interrogando quomodo ipſum tonderet, ſilentio, *inquit. Nota eſt* tonſtrina Terentiana *&* Ariſtophanica; *notus &* Tonſor Dionyſianus, *& qui primus cladem* ſiculam *diſſeminaverat, qui ne malo quidem ſuo edoctus ſilere potuit, quærens de exitio* Niciæ.(g.) *Vſq; adeò nugatorium eſt tonſorum genus, non enim ſolum multiplicia nova ſciſcitantur, de quibus nugentur, ſed etiam divulgare, & qualia illa ſunt, rationibus confirmare excellenter callent. Si rationes veræ nullibi ſint, probabiles adſciſcunt, vel quæ probabilitatis ſpeciem tantùm habent: quando nec harum aliquid reliquum eſt, ad inania verba confugiunt, incandeſcunt, exclamant, convitium faciunt, exſecrantur, ad diverſa tranſeunt, confutant, de quibus nō agitur, confirmant, de quibus non dubitatur, ut confirmare videantur, proferunt uti certa, quæ ipſa vel dubia, vel falſa ſunt, & ut plurimùm materiam blaterandi ſibi deeſſe non patiuntur*, Homerus *veritatis interpres volens maximè* Therſiten *improbare eum dixit* ἀμετροεπῆ *id eſt, immodicos ſermones effutientem. Non pauci in hoc genere iam profundas egerunt radices, ut in illis emendandis operam ponere eſſet* Augiæ *repurgare ſtabulum. Nugentur, dum lubuerit, clamēt, usq; dum fauces areſcant, ſiti enim viam pandunt, cum* ſilentium *contra* non ſolùm nullum locum ſiti relinquat, *ut ait* Hippocrates; *Sed* etiam nihil ſecum moleſtiæ & doloris trahat. *Interea occaſio ipſis præcidi non poteſt aliter, quàm ſi nugatoriæ illorum converſationes averſeris & reſpuas, aliàs & ipſe garrulus evades Tingi vel inſici nos conſuetudine aliorum, quibus cum vivimus, quis dubitet? Quid evidentiùs, quàm qui apud ruſticos & aſperos homines natus ſit & educatus, aut plures annos vixerit, quin idem ruſticitatem & aſperitatem nativam propriamq; habere videatur? Vnde &* Medeæ *juſta oratio eſt, quâ queritur, ſe quoque barbariem induiſſe convictu diuturno cum barbaris. Natura quidem vis maxi-*

(g.) Vide Thucyd. l. 7. non longè ab extremo.

ma eſt,

ma eſt, ſed neq; parva conſuetudinis, quin hæc ſæpe pro illa. Non candefaciet togas, qui atros carbones & fuliginem non fugit. Nec, opinor, in argutis modulationibus muſicis vocem rectè & fideliter exercebit, qui ad incudem ſedet, quam perpetuis tundunt ictibus Brontesq; ſteropesq; & nudus membra Pyracmon. *Deinde ſi non attendas iſtis nugis. Philoſophus* Zeno *quærenti nugatori cuidam,* ſitne utilis virtus, *ne cum eo in contentionem deſcenderet, verbum reſpondendum non putavit, ſed non niſi abnuit.* (h.) *De* Xenocrate, *quem* Tullius (i.) *Philoſophorum ſeveriſſimum nominat,* Valerius M. *hæc refert, à quibus recitandis propter eorum elegantiam abſtinere non poſſum*: Quod Xenocratis, *inquit,* reſponſum? quàm laudabile? Quum maledico ſermoni quorumdam ſummo ſilentio intereſſet, uno ex his quærente: cur ſolus ita linguam ſuam cohiberet? Quia dixiſſe me, *inquit,* aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam. *Moderati animi & ſingularis prudentiæ eſt, ad maledicta non reſpondere. Reſpondent autem ferè non niſi irâ perciti, quando non ſolùm nimium regerunt; Sed & alia & agunt & dicunt, quorum eos deinceps tum pudeat, tum pœniteat. Namq; ut eſt in græco verſu:* Ερις δ' ερις αντιφυτευει. *Atq; hæc ut latinus ſcripſit de Fama; Ita de nugaci contentione poſſet dici:*

> Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras
> Ingrediturq; ſolo & caput inter nubila condit.

Fuiſſe autem Xenocratem *ſilentii obſervantiſſimum, quid mirum? qui quotidie unam horam ſilentio deſtinavit, teſte* Laërtio. *Hoc eſt, quod* Theognis *ait,* oculos & linguam, & aures naſci in pectore Sapientis. *Mens enim ſapientis oculis, & lingua, & auribus moderatur, ne quid improbum, curioſum & inane, quæ omnia nugatoribus accidunt, deſignent. Nequaquam igitur perpetua*

(h.) Stobæus ex Theocrito quodam ita refert.
(i.) l.1. de offic.

Suadæ ſilenti *opera danda eſt, ſed tantiſper, donec loqui didiceris ne nugari videaris.* Hoc eſt Pythagoreum *ſilentium. O ſi hodiè eâdem illud religione obſervaretur, plures forent ſolidioris doctrinæ & eruditionis, pluſq́ juventus in omni doctrina genere, & virtutis ſtudio proficeret. Verùm hoc ſeculo ſæpe cæco cæcus dux eſt, non aliter, ac ſi ſurdaſter litem moveris ſurdaſtro; & ſententiam dicat ſurdus: Flagitat enim unus mercedem ædium: alter ait: ſe totam noctem in piſtrino ſudâſſe: judex , cum utriq́ mater ſit, quemq́ ſua alimenta debere pronunciat: Sapientiæ igitur præceptis pectus ab interiore labe expurgandum prius erit. Nemo tacendi laudem meretur, cui loquendi deeſt prudentia. Audite ſapientiſſimi vitæ Magiſtri conſilium:* Socrates *improbabat, ſiquis ſe ad dicendum, ad res gerendas, ad tractationem machinarum ſubitò converteret; Sed quemq́ prius imbui jubebat animi moderatione ſive virtute, quam* ευφροσυνη *nominat. Hâc igitur qui carent , Suadæ loquenti ritè vacare nequeunt. Quomodo quæſo dux belli futurus erit hoſtibus terribilis, ſuis admirabilis & charus, qui virtutis heroicæ eſt expers? Sic quomodo quis accommodatè dicere poterit qui hoſpes eſt in ſtudio Sapientiæ, qui non multa bona , quorum uſus in dicendo eſſe aliquando poſſit, coacervârit, & quaſi ante pedes non initio exſtruxerit ? Equidem non ille diſertus appellari meretur, qui Rhetorica, vel depravata, vel mutila didicerit, nec monumenta Rhetorum priſtorum magnâ diligentiâ cognoverit, nec ſeriò & accuratè Sapientiam ſectatus fuerit. Ridenda eſt talium arrogantia: Sed deteſtanda pertinacia omnium, quotquot præclaris veterũ repertis projectis diſcendi cupidos ad viliſſimorum per nugas ſuas nequiter abducunt, quorum auſpiciis impudenter nugari diſcunt. Nec mirum, ſi ipſi greges ducant. Quid enim magis in promtu, quàm primæ ætati imponere grandibus promiſſis? ubi novitas ipſa valens illicium eſt. Videor hæc dici nimis leviter, quàm res ipſa poſtulat, imò ſatis vehementer à diſertiſſimo dici vix queunt.* Suadæ

loquenti

loquenti *adhæſurus aurea quæ ſunt, accepiet neceſſe eſt; Sed ille ænea, & ne vix quidem ænea aureis anteponit, imò ſua eſſe aurea linguâ promtiſſimus clamitat. Non ſecus, ac in opificiis fieri adſolet:* Pictor *vix mediocris tabulam ſuam ſuſpicit;* Poëta *ſuos decantat verſus, ut aureos & Homericis cultiores, aliorum meliores etiam carpit; Ita & illi, iquæ in ipſis ſtulta ſunt, ea ſapientia coloribus pingunt. Dico de iis, qui Rhetorica contaminant & mutilant. Artem pollicentur primariam, cujus puſillam particulam ipſi vix habent. Non aliter, quàm ſi quis utres non vino aut oleo impleat, ſed vento tantùm diſtendat; ita ipſi artis opinione alios inflant, & reipsâ inaniores, quàm acceperant, dimittunt. Ædificio faſtigium imponere geſtiunt, cum deturbent potius. Novi dicuntur fabri ad demoliendum ſcilicet nati* τρόπος *ædificant, quo ipſo verbo quis* everſionem *artis notari non ſuſpicetur? Tridui doctrina ea eſt, & tridui opus, quod ad illam amuſſim fabricantur. Non melius arte tam inerti quis loqui valeat, quàm vel anus in villa hoc æſtivo tempore ad operas ruſticas, vel nauta ad ſentinam; Nam & hic verborum colluvies ſine mente, & clamores. Plebejas gratulationes & gratiarum actiones quotidie audimus, quæ, quò ſunt exornatiores, hoc magis riſum movent. Quantò elegantius puellæ, dum telam texunt, quantò concinniùs virgines, dum veſtes acu pingunt, vel ad colum fila ducunt, fabellas abſq; arte inter ſe narrant: primùm ipſa ingenioſæ delectu verborum habito, bono ordine quærentes omnia, quæ ad fidem earum rerum facere videntur, quæ tamen res ſuo vitio ne quidem apud maximè credulos fidem inveniunt. Plus ex unica ejuſmodi fabella quoad diſcendum faciat, didiceris, quàm ex omni ipſorum arte, ſive myrothecis, ſi qua habent. Quod neque veſtrum cuiquam A. aliter videbitur, ſi experti rem abſq; præjudicio conſideraveritis. Non enim balſama olent ejuſmodi orationes, ſed id fœtent, quod elegantes aures*

 repu-

repudiant. Habent enim feces verborum, ſordes ſententiarum, nihil loquacius, nihil inſulſius. In tali enim arte argumentum nullum, nulla fides, nuſquam ſales, nuſquam ratio. Faceſſant igitur frivolæ gerræ & ridiculæ apinæ. Taceant Nugatores, *nec alios doceant, quæ poſtmodum dediſcenda ſunt. Hoc nimirum eſt ſpectra prodere pro rebus. Non enim verè bona dici poſſunt, ſed apparenter duntaxat, adeoq; allubeſcunt citiùs, ſi præſertim urbanitate quadam ſingulari, ſi vultu, ſi actionibus, ſi geſticulationibus, ac ſi muſcas abigere vellent, nugas juvare, & parva in magnis, & magna in parvis ponere nôrint. Equidem in morum elegantia & ſalibus cautè adhibitis, multum eſſe poſitum non nego.* Dicta, ſales, luſus, ſermonis gratia, riſus; Vincunt naturæ candidioris opus. *Ruſticus ſit, ingratus & inſuavis in communi conſuetudine, in quo nullum illorum ſtudium exſtiterit. Veruntamen in quibus, & penes quos homines immodicum & religioſum eſt ceremoniarum (ut ita loquar) inter ſe ſtudium, ibi non eſſe nimium fidei uſu experimur. Quiq; multum temporis & operæ in his ſplendidis nugis ponunt, & reliquum animi cultum & pectoris ad integritatem ſolidasq; virtutes informationem non admodum ſibi curæ habent, vitæ rationem haud rectè intelligunt. Itaq; eos comparârim cum turpiculis quellis, quæ quò ſpeciem aliis venditent, faciem fuco diligenter illinunt. Proinde etiã, ut hæ fuco liquefacto multò ſunt fœdiores; ita illi incurvatione cervicis, flexione genuum, baſiatione manuum deſitâ & verborum phaleris remotis, ſeu fumis diſſipatis, ipſi placere deſinunt. Quorum videlicet in rebus ſeriis, ſive quid agendum ſit, ſive docendum, non ſit uſus aliquis. Elegantiæ nimirum in iis abundè, ubi & decorum & fides, nec illa ſine his grata ſit; hæc illam & complecti & vincere videantur, Silere prudenter non dicitur is, qui linguam tantùm frenare, ſed qui omnes geſtus ſuos & actiones cohibere novit* (l.) *Poſthabitis itaq; nugis iſtis* Suadæ

(l.) Harpocrates.

loquenti

loquenti *vacandum, hoc eſt, ſolida & diſerta orationi, quæ ſit rotunda ſimul ac brevis. Rotundos ac breviloquos in admiratione eſſe eleganter apud* Stobæum *teſtantur* Philo.

> ουκ αν τις, inquit, ειπη πολλα θαυμασθησεται:
> Ο μικρος δ' ειπων μαλλον, αν η χρησιμα.

Itemq; Ariſtophanes, multas orationes paucis verbis comprehendere, ſapientis eſſe, *dicit. Nec minor eſt authoritas* Platonis, *qui hoc genus cum* jaculatoribus eximiis, *neſcio quo loco, comparat: Atq; hinc* Menander *apud* Stobæum *agens de ſermone eos reprehendit, qui, cum politè loqui noverint, inanem tamē orationem ejaculentur.* *Sed* Homerus *quoque* Menelaum *de ſapiente brevitate mirificè cōmendat.* Paucis agebat, *inquit*, ſed diſertè: Multorum enim verborum non erat: neque in ſermone hallucinabatur, *ut faciunt, & qui ſupervacanea dicunt, & qui neceſſaria omittunt.* Phocion *aliquando, quid meditaretur, interrogatus, reſpondit*, Se in id niti, ut orationem, quàm apud populum habiturus erat, præcideret: *idem* Carolo V. *Imperatori adſcribitur. Ineptiſſimum eſt, ſi ad multitudinem verba tibi facienda, vel in ſenatu, vel in conſiliis Principum oratione prolixâ nimis, vel in ſpeciem nimis elaboratâ uti, aut ſententias ac rationes nimis reconditas è locis erutas nimiſve longè accerſitas uſurpare.* Auguſtus Cæſar, *genus loquendi, ut teſtatur* Tranquillus, *ſequutus eſt elegans & temperatum, vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum fœtoribus, præcipuamq; curam duxit ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere. Qui diligentius res perſcrutantur, illi minus verborum ſunt prodigi. Præſertim in ſumma eminentia conſtitutis hoc convenit. Etenim non otium erit ei multum fari, qui ad clavū in puppi ſedet. Conſideranda, agēdaq; alia, ne navis in vado hæreat, abſorbeatur gurgite, ne impingat in ſcopulos, ne tempeſtatuum &*

fluctuum magnitudine obruatur , ſed eat minore pericula, tuto in portu conſiſtat. Ab infantia ſe facilè vindicabunt, qui purgato ſunt pectore: ex hoc enim, ut ex fonte liquido, pura omnia. Hæc erit diſerta, hæc erit regia oratio, ut ſint verba paucula, ſed ſolida. Hoc laconicum *ſuperabit acumen & atticos torrentes. Equidem non ille dicendi inopiâ laborat, meo judicio, qui verbo vel nutu facit, quæ vult: Virtute ſimul abundat, quando recta & vult & imperat, nec ſibi quid habere exiſtimat, quod non ſit in uſibus multorum. De cætero verò, ſi quid uberius dicendum , vel deducendum , præſtò erunt viri diſerti , quibus favebit, quorumq; ſapientiam ad ſuam aggrebabit.*

Qui caret argento fruſtra utitur argumento,
Qui dare ſcit, non qui dicere, Rhetor erit:

Habet Ovvenus *ingenioſiſſimus. O ſi paululum velut* ἐν παρόδῳ *retroſpiciamus. A. quando in pretio olim fuerint habiti Viri diſerti:* (m.) Veſpaſianus *Imperator, docente* Suetonio, *latinis græcisq; Rhetoribus annua centena (ea ſunt bis mille & quingenti Philippici) conſtituit &* Salejo Baſſo *eximio Poetæ unâ donatione auri* 50. *Seſtertia (hoc eſt, æſtimatione noſtrâ, Philippicorum* 12. *Millia & quingentos) donavit:* Diocletianus Eumenio *Rhetori in Schola Auguſtodunenſi Doctori Sexcenta annua , ſive quindecim millia Philippicûm, aſſignavit:* Arcadius Arſenio *filiorum Præceptori unius anni tributum Ægyptium obtulit etſi recuſanti. Quis hodiénum, quæſo, non facilius oſtenderet aliquem* Juſtinianum, *qui ſalaria* Doctoribus *aſſignata tollat, aut certè minuat? Ille autem titulus* de donationibus *ſenio ſic abſolvit, ut inter abrogatas leges meritò recenſeri debeat. Et quid cauſæ putatis* A. *quòd homines literati martiali hoc ſeculo veſtibus atratis utantur? lugent*

(m.) Bern. in Orat. Cornel. Tac. in dial. de claris Orator. Alciatus, Caſaub. Lips.

videlicet

videlicet exſtinctos hinc inde Mecœnates. Quamvis quidem aliqui benefaciant Muſis, *ſunt tamen ii admodum pauci. Quid dicam de malevolis? qui tali largitione, uti ipſi vocant, æraria exhauriri queruntur, cum contrà vel in paraſitum ſæpe unâ vice plus conferatur, vel in unum epulum plus profundatur, quàm in virtutum deditos ullo unquam tempore. Non deſunt, qui perire malint fortunæ bona cum omnibus & bonis & populis, quàm juvare bonas literas cum conſervatione illorum omnium: quàm vel eas audire, etiam ſine mercede, ſine præmio, quàm ſapientum parato conſilio uti, ut omnia agant pro libidine. Hoc ita hodièq; fieri, utinam jure queri non poſſemus! Cæterùm, ne quis extra chorum ſaltâſſe, adeoq; nugari fortaſſis me quiſpiam arguet, de his ſatis, vel etiam pluſquàm ſatis. Non vero aliâ ratione hæc â me prolata ſunt, quàm ut exinde conſtaret, magnam eſſe diſerti Oratoris, qui* Suadam loquentem *ritè colit, dignitatem, ſive cauſas agat, ſive Sententiam dicat, ſive legatione fungatur. Etſi hoc tempore alio nomine illa ipſa Oratoris dignitas obſcuretur. Pervulgatum eſt in Germania magis, quàm alibi gentium, ut* JCto, *etiam quæ propriè Oratoris ſunt, quæq; item propriè* Politici, *mandentur, cum diſcreta ea ſint munera, & ſine dubio unumquodq; horum trium ita arduũ, ut ſuam propriamq; perſonam poſtulet. Omnia illa munera jam recenſere nolo, hoc enim juſtæ Orationis, imò juſti voluminis, opus foret. Vt tamen, quinam ſingulorum campus ſit, quinam diſtincti fines, carptim recitem:* Politici *eſt modum rectè vivendi (doctrinam de moribus intelligo) explicare, docere, quid domus ſit, & quæ ejus bene conſtituendæ ratio: quid item civitas: quæ Rerump. formæ: & quæ quibus modis & labefactetur & conſervetur: Et ſi quæ huc alia pertinent, ex quibus ſanorum conſiliorum ſeges effloreſcit, ut tuti adverſus impetus hoſtiles, domi quieti neceſſariis ad vitæ commoditatem instructi, imprimis virtute & juſtitiâ præditi nobis inter nos amici ſuavitate cæteras moleſtias condientes; Singulis à carceribus ad*

 metam

metam beatè currentibus, quaſi quandam perpetuitatem, quoad fieri poteſt, civilis conſuetudinis conſervemus: Hoc eſt munus Politici. Ejus tamen olim ſibi ſumebat perſonam Rhetor: Cum enim Politici eſſent homines eloquentiſſimi, hinc evenit, ut quicunq; diſerti ſeſe facilè pro Politicis venditarent, ſive ambitione ſive aliis de cauſis, quæ multa & varia movent & impellunt homines. Conſilium autem ſuum facilè poterant tegere, quoniam non ignari erant prorſus ipſius artis, cujus ſe Magiſtros profitebantur: Diguſtârant enim, vel liguriērant potius aliqua de optimis & maximis hujus ſalutaris prudentiæ præceptis. Hæc verò è ſuis regiis theſauris Rhetoricæ, uti amicæ ſibi liberaliter ſervienti, potiſſimas opes, quas ipſa uſurpat & poſſidet, perquam munificè largitur, quoniam Rhetorica honeſta etiam ipſa eſt ſed tenuioris fortunæ, ideoq; opibus, tum Politicæ, tum dialecticæ, ſine invidia utriusq; utitur. Hinc apparet, quàm iniquè agat Orator, & quàm ingratè, qui campi ſui limitibus tranſitis regnum Philoſophiæ Politicæ malis artibus occupare conatur: Apparet, quantum ſibi ex Oratoribus multi olim ſumſerit, cum Politici tenerent clavum meliorum rerumpublicarum, ſi gubernatoribus remotis illi clavum alii ve imperitiores tenerent. Non mirum, ſi navem fregerint. Invidiam vix effugerit, qui dicat, in ſimili hodie errore permultos eſſe, neq; id quis adeò cautè & fideliter exponet, ut ſuam ſententiam omnibus probet. Calumniabitur ſtatim aliquis: Vetus & bonum inſtitutum reprehendi, opinionem in lucem prodi novam. Nam Juriſperitis Remp. credi, vetus eſſe & bonum: novum eſſe & minimè ex uſu, ſi quis aliud moneat. Habentur enim hodie paſſim JCti Politici, neq; præter hos alii rectè conſulere in vulgus putantur imperio. Sed ita ſe res habet. A. cum ſalus civitatis ſit in legibus, nihil eſſe nobis earum interpretibus utilius, cenſendum eſt. Et ſunt illi colendi, ut Sacerdotes juſtitiæ & Politicorum Aſſeclæ & Conſiliarii. Qui enim JCtos vere Philoſophari modeſte affirmârunt, minime omnium ſuâ

opinione

opinione falſi fuerunt. Vere enim profectò Philoſophantur in explicatione Juſtitiæ. *Sapientes enim quum injuriâ & inæqualitate omnes hominum ſocietates perturbari viderent, & ſæpe diſſipari, legibus iſtas geſtes funditus tollendas & longiſſimè arcenu...; contrà verò juſtas actiones & æqualitatem ſanciendas putârunt. Eodem reſpiciunt immenſa juris Interpretum volumina. Verùm pluribus quid opus eſt, præſertim in re manifeſtiſſima? Nemo inficiabitur, niſi barbarus & conſceleratus juris ſcientiam neceſſariam eſſe* Reip. Jctũ *item, multóq; magis, quàm* Medicũ *propulſandis morbis & tuendæ valetudini. Ejus autem partes cum in foro ſint, non in curia; non profectò ipſa eſt architectonica omnium commodorum & beatæ vitæ civium. Neq; obſtat, quòd hodie (neq; tamen apud omnes politæ gentes neq; perpetuò)* Jcti *ſententiam in Senatu dicant: Hoc namq; faciunt non ut* Jcti, *ſed ut* Senatores, *ſeu* Politici. *Alioquin etiam non audiuntur, præſertim, ſi tenuiores ſint, & humili loco orti. Quin imò quamvis Sententiam in Senatu graviſſimam poſſint dicere, ſæpe tamen id facere non tutò poſſe videntur: Cum non ſolùm iras potentũ ſed Sycophantias quoq; leviſſimorum hominum metuant, innocentiâ fortaſſe muniti, nudati autem cæteris præſidiis: Quod ſi audiantur, vix habent talium verba aliquid ponderis: Ea enim eſt inſcitia hominum, ut ex perſonis potius, quàm rebus ipſis æſtiment conſilium.* Senatores *itaq;, ut omnes ſui muneris partes expleant,* Politicos *eſſe oportet, non minus, quàm ipſos reges ac Principes. Eſt enim hæc ars, ſive Senatoria, ſive regia ſive principalis, bene mereri de mortalibus, amoliendis à civitate miſeriis non unius generis, & conciliandis ei conſervandisq; bonis, non iis ſolum, quæ vulgus ob neceſſitatem & voluptatem ejuſmodi eſſe ſtatuit, ſed & melioribus, quæ verè bona eſſe judicat Sapiens: quoniam ut ſine illis nemo felix; Ita ſine his beatus nemo cenſebitur. Hoc cũ à* Jcto *nemo requirat, ſatis apparet, aliud ejus eſſe munus, & Politici munus latiùs patere. Illius dignitas ma-*

deinceps dormiens ſiniſtram pudendis dextram ori admoviſſe viſus fuit: Lingua enim conſtrictiore freno opus eſſe judicavit, adeòque rectè ſentiebat. Neq; enim facilè tot viros quis enumeret, qui incontinentiâ veneris periiſſent, quot urbes & imperia ſermo arcanus proditus evertiſſet. Magna ſurgeret dicendi ſeries, ſi exempla eorum, quibus nugatio damnum nec rarò exitium attulerit, proferre nunc vellem. Illis proinde grata brevitatis causâ relictis, videte modò, quæ in oculos omnium cadunt, in communi vita, quomodo Suada ſilens *colatur: Videas qui de genere & familia ſua magnificè nugantur, & à Majoribus ſe ornari volunt. Produnt hoc ipſo vel ignobilitatem, vel vilitatem animi ſui: Non enim è mortuis majores excitarent, ſi ipſi illorum eſſent ſimiles, quos jactant, & quos alii quoq; prædicatione ſingularium laudum dignos cenſent. Nugatorium hoc eſt, & opinione tantùm pulchrum, gentiles plurium ſeculorum quaſi ſpectandos exhibere: præſertim ſi quis in hoc ſummum decus eſſe aſſerat: Reipsâ verò pulchrum ſic virtute præſtare, ut Principem cujuſq; gentis præſtitiſſe arbitremur. Qui majores aliis nugando narrant, ut ex illis verè magni habeantur ſine ſua præſtantia, æquè mihi facere videntur, ac ſi ex poſteris* Graſſi *inops aliquis Craſſi divitias jactet, quarum ne ſexterum in hereditate habeat, aut ſi ex minoribus* Tulliis *infans ſuam eloquentiam exiſtimari velit, quod Tullius exſtitiſſet* diſertiſſimus Romuli Nepotum, *ut Poëta verbis utar: Videas, qui terrâ mariq; iter fecit, de iis locis, quæ vidit, de hominibus, quibus cum fuit, non narrantem fideliter, ſed nugantem; Uti, qui ſacram navigationem inſtituit, de* Ægypto, *de* Syria, *de* Hieroſolymis *(e) qui cum Hiſpanis novum urbem viſit, de* Peruinis *& aliis populis; Alius de* Thule, *de* capite ſummæ Spei, *multa contra rei veritatem nugatur, & ut Poëta verbis omnia complectar,*

(e.) Plut. in Sympoſ. l. 2. probl: 1.

Navita

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

In his primum locum Viri militares *tenent, quibus in more poſitum eſt, ut ſubinde pugnas narrent, militiæ ſtrategemata, excidia urbium, vaſtationes provinciarum, præſertim, ubi ipſi vel interfuerint vel aliquid deſignarint:* Homerus *non tantum Poëtarum, ſed etiam doctrinarum omnium Princeps talem facit* Neſtorem, *utpote ab adoleſcentia militem, poſtea Virum ſenatorem factum, res â ſe geſtas narrantem & deliberationum exempla proferentem; Vt* Theſeo *& ſuperioris ſeculi Heroibus conſuluerit, & cum ipſo adverſus communes hoſtes bella fortiter geſſerit; ut* Ereuthalionem *trucidârit; Vt* Itymonem *jaculo interfecerit; ut ſe ipſum pluribus antepoſuerit; ut caſtu* Clytomedem, *luctâ* Ancæum, *curſu* Iphiclum, *haſtâ* Phyleum *&* Polydorum *vicerit. Et tamen fatetur ſe ab* Actorione *ſuperatum bigis: Sic enim nihil finxiſſe putetur in cæteris, nec videatur jactabundus & modeſtiæ expers. In negotiis civilibus etiam* Suada Silens *parum colitur; Siquidem ex conſideratione fortunæ & conſiliorum, ex narratione orationum & actionum ſuarum ambitioſam ejuſmodi homines capiunt voluptatem: jucundum enim ſupra modum meminiſſe laborum, quos pridem ſuperaveris. Quæ animi lætitia quemvis narratorem Comico pervigilio facit loquaciorem. Deſeritur* Suada Silens *ab Amatoribus:* Amatores *præter ſuos amores nihil in animo, nihil in ore habent, nõ ſolum ad alios, quando videlicet ſuas ſcortationes & adulteria tanquam heroica facta recitare gaudent, ad exemplum* Proculi *Imperatoris, qui paſſim gloriari ſolebat, ſe centum ex Sarmatia Virgines cæpiſſe, ex his una nocte decem inivisſe, omnes tamen intra dies quindecim mulieres reddidiſſe. Sed etiam ſoli, adeò ut quidam etiam inania compellant, quod teſtantur verſus* Menandri *quos* Plutarchus *allegat:* Aliquis inquit, ô care lectule! *in quo, ſcilicet, cubavi.* Alius, ô felix

Lychne,

ſilentium: Inepta enim & ſtulta oratio uſum moderatum vini in ebrietatem vertit, quam Philoſophi definientes ajunt eſſe nugacitatem in vino, *& hac, eodem* Plutarcho *teſte, ex tribus malis, qua ſunt in vino, graviſſima eſt. Primum enim malum in eo eſt, quòd graves etiam viros, nonnunquam excitet ad cantillandum, quod adoleſcentia liceat, nec in aliquo de media plebe reprehendatur; Alterum; quod invitet ad laſ.iviorem riſum & choreas laſcivas, in quas etiam Senes trudit, ut eſt in graco verſu:*

Οινος ανωγε γεροντα, ϗ ουκ ἐθελοντα χορευειν :

Tertium verò turpe eſt, & non parum ſecum affert periculi. Exprimit enim vinum, quod tacitum fuerit ſatius. Tum ſcurrantur tum ludunt in turpibus, tum convitium praſenti faciunt, tum abſenti maledicunt, tum arcana detegunt. Quod vino ſecreta eliciantur, ideo lene tormentum *appellavit* Lyricus. *Vino enim & irâ obruti facilè effutiunt quod cœlatum oportuit.* Onerati mero, *ait* Seneca, quemadmodum non continent cibum redundante vino: ita ne ſecretum quidem ſuum alienumq;. *Itaq; & Reges hoc indice eorum animos explorant, non ſolum è quibus arcanum velint elicere, ſed etiam quibus uti fortè aliquando in animo habeant: Quod eleganter quoque oſtendit idem* Horatius.

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant
An ſit amicitiâ dignus ———————

Quod ſi in vino nihil omnium fiat, qua dixi, ipſa nugatio ſatis magnum, et ſi ſuave, malum eſt, indignum ſapiente ſive acri virtutis cultore. Exulat Suada ſilens *non in vino & conviviis tantùm, ſed etiam in* conviviis ſine vino: Tonſtrinas *puto.* A. *quas per jocum ita appellavit* Theophraſtus, (f.) *quòd perpetua in iis ſit nugatio: Cum Regi* Archelao *loquax tonſor linteum humeris*

(f.) αοινα συμποσια.

 iniiceret,

iniiceret; interrogando quomodo ipſum tonderet, ſilentio, inquit. Nota eſt tonſtrina Terentiana & Ariſtophanica; notus & Tonſor Dionyſianus, & qui primus cladem ſiculam diſſeminaverat, qui ne malo quidem ſuo edoctus ſilere potuit, quærens de exitio Niciæ. (g.) Vſq; adeò nugatorium eſt tonſorum genus, non enim ſolum multiplicia nova ſciſcitantur, de quibus nugentur, ſed etiam divulgare, & qualia illa ſunt, rationibus confirmare excellenter callent. Si rationes veræ nullibi ſint, probabiles adſciſcunt, vel quæ probabilitatis ſpeciem tantùm habent: quando nec harum aliquid reliquum eſt, ad inania verba confugiunt, incandeſcunt, exclamant, convitium faciunt, exſecrantur, ad diverſa tranſeunt, confutant, de quibus nō agitur, confirmant, de quibus non dubitatur, ut confirmare videantur, proferunt uti certa, quæ ipſa vel dubia, vel falſa ſunt, & ut plurimùm materiam blaterandi ſibi deeſſe non patiuntur, Homerus veritatis interpres volens maximè Therſiten improbare eum dixit ἀμετροεπῆ id eſt, immodicos ſermones effutientem. Non pauci in hoc genere iam profundas egerunt radices, ut in illis emendandis operam ponere eſſet Augiæ repurgare ſtabulum: Nugentur, dum lubuerit, clamēt, usq; dum fauces areſcant, ſiti enim viam pandunt, cum ſilentium contra non ſolùm nullum locum ſiti relinquat, ut ait Hippocrates; Sed etiam nihil ſecum moleſtiæ & doloris trahat. Interea occaſio ipſis præcidi non poteſt aliter, quàm ſi nugatorias illorum converſationes averſeris & reſpuas, aliàs & ipſe garrulus evades. Tingi vel inſici nos conſuetudine aliorum, quibus cum vivimus, quis dubitet? Quid evidentiùs, quàm qui apud ruſticos & aſperos homines natus ſit & educatus, aut plures annos vixerit, quin idem ruſticitatem & aſperitatem nativam propriamq; habere videatur? Unde & Medeæ juſta oratio eſt, quâ queritur, ſe quoque barbariem induiſſe convictu diuturno cum barbaris. Naturæ quidem vis maxi-

(g.) Vide Thucyd. l. 7. non longè ab extremo.

ma eſt, ſed neq; parva conſuetudinis, quin hæc ſæpe pro illa. Non candefaciet togas, qui atros carbones & fuliginem non fugit. Nec, opinor, in argutis modulationibus muſicis vocem rectè & fideliter exercebit, qui ad incudem ſedet, quam perpetuis tundunt ictibus Brontesq; ſteropesq; & nudus membra Pyracmon. *Deinde ſi non attendas iſtis nugis. Philoſophus* Zeno *quærenti nugatori cuidam,* ſitne utilis virtus, *ne cum eo in contentionem deſcenderet, verbum reſpondendum non putavit, ſed non niſi abnuit.* (h.) *De* Xenocrate, *quem* Tullius (i.) *Philoſophorum ſeveriſſimum nominat*, Valerius M. *hæc refert, à quibus recitandis propter eorum elegantiam abſtinere non poſſum* : Quod Xenocratis, *inquit*, reſponſum? quàm laudabile? Quum maledico ſermoni quorumdam ſummo ſilentio intereſſet, uno ex his quærente: cur ſolus ita linguam ſuam cohiberet? Quia dixiſſe me, *inquit*, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam. *Moderati animi & ſingularis prudentiæ eſt, ad maledicta non reſpondere. Reſpondent autem ferè non niſi irâ perciti, quando non ſolùm nimium regerunt; Sed & alia & agunt & dicunt, quorum eos deinceps tum pudeat, tum pœniteat. Namq; ut eſt in græco verſu:* Ερις δ' εριν αντιφυτευει. *Atq; hæc ut latinus ſcripſit de Fama; Ita de nugaci contentione poſſet dici:*

Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras
Ingrediturq; ſolo & caput inter nubila condit.

Fuiſſe autem Xenocratem *ſilentii obſervantiſſimum, quid mirum? qui quotidie unam horam ſilentio deſtinavit, teſte* Laërtio. *Hoc eſt, quod* Theognis *ait*, oculos & linguam, & aures naſci in pectore Sapientis. *Mens enim ſapientis oculis, & lingua, & auribus moderatur, ne quid improbum, curioſum & inane, quæ omnia nugatoribus accidunt, deſignent. Nequaquam igitur perpetua*

(h.) Stobæus ex Theocrito quodam ita refert.
(i.) l.1. de offic.

Suadæ ſilenti *opera danda eſt, ſed tantiſper, donec loqui didiceris, ne nugari videaris. Hoc eſt* Pythagoreum *ſilentium. O ſi hodie eâdem illud religione obſervaretur, plures forent ſolidioris doctrinæ & eruditionis, pluſq; juventus in omni doctrinæ genere, & virtutis ſtudio proficeret. Verùm hoc ſæculo ſæpe cæco cæcus dux eſt, non aliter, ac ſi ſurdaſter litem moverit ſurdaſtro, & ſententiam dicat ſurdus: Flagitat enim unus mercedem ædium: alter ait: ſe totam noctem in piſtrino ſudâſſe: judex, cum utriq; mater ſit, quemq; ſua alimenta debere pronunciat: Sapientiæ igitur præceptis pectus ab interiore labe expurgandum prius erit. Nemo tacendi laudem meretur, cui loquendi deeſt prudentia. Audite ſapientiſſimi vitæ Magiſtri conſilium:* Socrates *improbabat, ſi quis ſe ad dicendum, ad res gerendas, ad tractationem machinarum ſubitò converteret; Sed quemq; prius imbui jubebat animi moderatione ſive virtute, quam* σωφροσύνην *nominat. Hâc igitur qui carent, Suadæ loquenti ritè vacare nequeunt. Quomodo quæſo dux belli futurus erit hoſtibus terribilis, ſuis admirabilis & charus, qui virtutis heroicæ eſt expers? Sic quomodo quis accommodatè dicere poterit qui hoſpes eſt in ſtudio Sapientiæ, qui non multa bona, quorum uſus in dicendo eſſe aliquando poſſit, coacervârit, & quaſi ante pedes non initio exſtruxerit? Equidem non ille diſertus appellari meretur, qui Rhetorica, vel depravata, vel mutila didicerit, nec monumenta Rhetorum priſtorum magnâ diligentiâ cognoverit, nec ſeriò & accuratè Sapientiam ſectatus fuerit. Ridenda eſt talium arrogantia: Sed dêteſtanda pertinacia omnium, quotquot præclaris veterũ repertis projectis diſcendi cupidos ad viliſſimorum per nugas ſuas nequiter abducunt, quorum auſpiciis impudenter nugari diſcunt. Nec mirum, ſi ipſi greges ducant. Quid enim magis in promtu, quàm primæ ætati imponere grandibus promiſſis? ubi novitas ipſa valens illicium eſt. Videor hæc dici nimis leviter, quàm res ipſa poſtulat, imò ſatis vehementer â diſertiſſimo dici vix queunt.* Suadæ

loquenti adhæſurus aurea quæ ſunt, accipiet neceſſe eſt; Sed ille ænea, & ne vix quidem ænea aureis anteponit, imò ſua eſſe aurea linguâ promtiſſimus clamitat. Non ſecus, ac in opificiis fieri adſolet: Pictor vix mediocris tabulam ſuam ſuſpicit; Poëta ſuos decantat verſus, ut aureos & Homericis cultiores, aliorum meliores etiam carpit; Ita & illi, quæ in ipſis ſtulta ſunt, ea ſapientiæ coloribus pingunt. Dico de iis, qui Rhetoricam contaminant & mutilant. Artem pollicentur primariam, cujus puſillam particulam ipſi vix habent. Non aliter, quàm ſi quis utres non vino aut oleo impleat, ſed vento tantùm diſtendat; ita ipſi artis opinione alios inflant, & reipsâ inaniores, quàm acceperant, dimittunt. Ædificio faſtigium imponere geſtiunt, cum deturbent potius. Novi dicuntur fabri ad demoliendum ſcilicet nati τρόπος ædificant, quo ipſo verbo quis everſionem artis notari non ſuſpicetur? Tridui doctrina ea eſt, & tridui opus, quod ad illam amuſſim fabricantur. Non melius arte tam inerti quis loqui valeat, quàm vel anus in villa hoc æſtivo tempore ad operas ruſticas, vel nauta ad ſentinam; Nam & hic verborum colluvies ſine mente, & clamores. Plebejas gratulationes & gratiarum actiones quotidie audimus, quæ, quò ſunt exornatiores, hoc magis riſum movent. Quantò elegantius puellæ, dum telam texunt, quantò concinniùs virgines, dum veſtes acu pingunt, vel ad colum fila ducunt, fabellas abſq; arte inter ſe narrant! primùm ipſæ ingenioſe delectu verborum habito, bono ordine quærentes omnia, quæ ad fidem earum rerum facere videntur; quæ tamen res ſuo vitio ne quidem apud maximè credulos fidem inveniunt. Plus ex unica ejuſmodi fabella quæ ad diſcendum faciat, didiceris, quàm ex omni ipſorum arte, ſive myrothecis, ſi qua habent. Quod neque veſtrum cuiquam A. aliter videbitur, ſi experti rem abſq; præjudicio conſideraveritis. Non enim balſama olent ejuſmodi orationes, ſed id fœtent, quod elegantes aures

repudiant. Habent enim feces verborum, ſordes ſententiarum, nihil loquacius, nihil inſulſius. In tali enim arte argumentum nullum, nulla fides, nuſquam ſales, nuſquam ratio. Faceſſant igitur frivolæ gerræ & ridiculæ apinæ. Taceant Nugatores, *nec alios doceant, quæ poſtmodum dediſcenda ſunt. Hoc nimirum eſt ſpectra prodere pro rebus. Non enim reverâ bona dici poſſunt, ſed apparenter duntaxat, adeoq́; allubeſcunt citiùs, ſi præſertim urbanitate quadam ſingulari, ſi vultu, ſi actionibus, ſi geſticulationibus, ac ſi muſcas abigere vellent, nugas juvare, & parva in magnis, & magna in parvis ponere nôrint. Equidem in morum elegantia & ſalibus cautè adhibitis, multum eſſe poſitum non nego.* Dicta, ſales, luſus, ſermonis gratia, riſus; Vincunt naturæ candidioris opus. *Ruſticus ſit, ingratus & inſuavis in communi conſuetudine, in quo nullum illorum ſtudium extiterit. Veruntamen in quibus, & penes quos homines immodicum & religioſum eſt ceremoniarum (ut ita loquar) inter ſe ſtudium, ibi non eſſe nimium fidei uſu experimur. Quiq́; multum temporis & operæ in his ſplendidis nugis ponunt, & reliquum animi cultum & pectoris ad integritatem ſolidasq́; virtutes informationem non admodum ſibi curæ habent, vitæ rationem haud rectè intelligunt. Itaq́; eos comparârim cum turpiculis puellis, quæ quò ſpeciem aliis venditent, faciem fuco diligenter illinunt. Proinde etiã, ut hæ fuco liquefacto multò ſunt fœdiores; ita illi incurvatione cervicis, flexione genuum, baſiatione manuum deſitâ & verborum phaleris remotis, ſeu fumis diſſipatis, ipſi placere deſinunt. Quorum videlicet in rebus ſeriis, ſive quid agendum ſit, ſive docendum, non ſit uſus aliquis. Elegantiæ nimirum in iis abundè, ubi & decorum & fides, nec illa ſine his grata ſit; hæc illam & complecti & vincere videantur, Silere prudenter non dicitur is, qui linguam tantùm frenare, ſed qui omnes geſtus ſuos & actiones cohibere novit* (l.) *Poſthabitis itaq́; nugis iſtis* Suadæ

(l.) Harpocrates.

loquenti

loquenti *vacandum, hoc eſt, ſolida & diſerta orationi, qua ſit rotunda ſimul ac brevis. Rotundorat brevi loquos in admiratione eſſe eleganter apud* Stobæum *teſtantur* Philo.

> ουκ αν τις, inquit, ειπων πολλα θαυμασθησεται:
> Ο μικρος δ' ειπων μαλλον, αν η χρησιμα.

Itemq; Ariſtophanes, multas orationes paucis verbis comprehendere, ſapientis eſſe, *dicit. Nec minor eſt autoritas* Platonis, *qui hoc genus cum* jaculatoribus eximiis, *neſcio quo loco, comparat: Atq; hinc* Menander *apud* Stobæum *agens de ſermone eos reprehendit, qui, cum politè loqui noverint, inanem tamẽ orationem ejaculentur.* *Sed* Homerus *quoque* Menelaum *de ſapiente brevitate mirificè cõmendat.* Paucis agebat, *inquit*, ſed diſertè: Multorum enim verborum non erat: neque in ſermone hallucinabatur, *uti faciunt, & qui ſupervacanea dicunt, & qui neceſſaria omittunt.* Phocion *aliquando, quid meditaretur, interrogatus*, *reſpondit*, Se in id niti, ut orationem, quàm apud populum habiturus erat, præcideret: *idem* Carolo V. *Imperatori adſcribitur. Ineptiſſimum eſt, ſi ad multitudinem verba tibi facienda, vel in ſenatu, vel in conſiliis Principum oratione prolixâ nimis, vel in ſpeciem nimis elaboratâ uti, aut ſententias ac rationes nimis reconditis è locis erutas nimiſve longè accerſitas uſurpare.* Auguſtus Cæſar, *genus loquendi, ut teſtatur* Tranquillus, *ſequutus eſt elegans & temperatum, vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum fœtoribus; præcipuamq; curam duxit ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere. Qui diligentius res perſcrutantur, illi minus verborum ſunt prodigi. Præſertim in ſumma eminentia conſtitutis hoc convenit. Etenim non otium erit ei multum fari, qui ad clavũ in puppi ſedet. Conſideranda, agẽda alia, ne navis in vado hæreat, abſorbeatur gurgite, ne impingat in ſcopulos, ne tempeſtatum &*

Digitized by Google

fluctuum magnitudine obruatur , ſed eat minore periculo, tuto in portu conſiſtat. Ab infantia ſe facilè vindicabunt, qui purgato ſunt pectore: ex hoc enim, ut ex fonte liquido, pura omnia. Hæc erit diſerta, hæc erit regia oratio, ut ſint verba paucula, ſed ſolida. Hoc laconicum *ſuperabit acumen & atticos torrentes. Equidem non ille dicendi inopiâ laborat, meo judicio, qui verbo vel nutu facit, quæ vult: Virtute ſimul abundat, quando recta & vult & imperat, nec ſibi quid habere exiſtimat, quod non ſit in uſibus multorum. De cætero verò, ſi quid uberius dicendum , vel deducendum , praſtò erunt viri diſerti , quibus favebit, quotumq; ſapientiam ad ſuam aggrebabit.*

Qui caret argento fruſtra utitur argumento.
Qui date ſcit, non qui dicere, Rhetor erit:

Habet Ovvenus *ingenioſiſſimus. O ſi paululum velut ἐν παρόδῳ retroſpiciamus. A. quando in pretio olim fuerint habiti Viri diſerti:* (m.) Veſpaſianus *Imperator, docente* Suetonio, *latinis græcisq; Rhetoribus annua centena (ea ſunt bis mille & quingenti Philippici) conſtituit &* Salejo Baſſo *eximio Poetæ unâ donatione auri* 50. *Seſtertia (hoc eſt, æſtimatione noſtrâ, Philippicorum* 12. *Millia & quingentos) donavit:* Diocletianus Eumenio *Rhetori in Schola Auguſtodunenſi Doctori Sexcenta annua , ſive quindecim millia Philippicûm, aſſignavit:* Arcadius Arſenio *filiorum Præceptori unius anni tributum Ægyptium obtulit etſi recuſanti. Quis hodiernum, quæſo, non facilius oſtenderet aliquem* Juſtinianum, *qui ſalaria* Doctoribus *aſſignata tollat, aut certè minuat? Ille autem titulus* de donationibus *ſenio ſic abſolvit, ut inter abrogatas leges meritò recenſeri debeat. Et quid cauſa putatis* A. *quòd homines literati martiali hoc ſeculo veſtibus atratis utantur? lugent*

(m.) Bern. in Orat. Cornel. Tac. in dial. de claris Orator. Alciatus, Caſaub. Lips.

videlicet

videlicet exſtinctos hinc inde Mecœnates. Quamvis quidem aliqui benefaciant Muſis, *ſunt tamen ii admodum pauci. Quid dicam de malevolis? qui tali largitione, uti ipſi vocant, æraria exhauriri queruntur, cum contrà vel in paraſitum ſæpe unâ vice plus conferatur, vel in unum epulum plus profundatur, quàm in virtutum deditos ullo unquam tempore. Non deſunt, qui perire malint fortunæ bona cum omnibus & bonis & populis, quàm juvare bonas literas cum conſervatione illorum omnium: quàm vel eas audire, etiam ſine mercede, ſine præmio, quàm ſapientum parato conſilio uti, ut omnia agant pro libidine. Hoc ita hodiéq; fieri, utinam jure queri non poſſemus! Cæterùm, ne quis extra chorum ſaltâſſe, adeoq; nugari fortaſſis me quiſpiam arguet, de his ſatis, vel etiam pluſquàm ſatis. Non vero aliâ ratione hæc à me prolata ſunt, quàm ut exinde conſtaret, magnam eſſe diſerti Oratoris, qui* Suadam loquentem *ritè colit, dignitatem, ſive cauſas agat, ſive Sententiam dicat, ſive legatione fungatur. Etſi hoc tempore alio nomine illa ipſa Oratoris dignitas obſcuretur. Pervulgatum eſt in Germania magis, quàm alibi gentium, ut* JCto, *etiam quæ propriè Oratoris ſunt, quæq; item propriè* Politici, *mandentur, cum diſcreta ea ſint munera, & ſine dubio unumquodq; horum trium ita arduũ, ut ſuam propriam q; perſonam poſtulet. Omnia illa munera jam recenſere nolo, hoc enim juſtæ Orationis, imò juſti voluminis, opus foret. Vt tamen, quinam ſingulorum campus ſit, quinam diſtincti fines, carptim recitem:* Politici *eſt modum rectè vivendi (doctrinam de moribus intelligo) explicare, docere, quid domus ſit, & quæ ejus bene conſtituendæ ratio: quid item civitas: quæ Rerump. formæ: & quæ quibus modis & labefactetur & conſervetur: Et ſi quæ huc alia pertinent, ex quibus ſanorum conſiliorum ſeges effloreſcit, ut tuti adverſus impetus hoſtiles, domi quieti neceſſariis ad vitæ commoditatem inſtructi, imprimis virtute & juſtitiâ præditi nobis inter nos amici ſuavitate cæteras moleſtias condientes; Singulis à carceribus ad*

metam beatè currentibus, quaſi quandam perpetuitatem, quoad fieri poteſt, civilis conſuetudinis conſervemus: Hoc eſt munus Politici. Ejus tamen olim ſibi ſumebat perſonam Rhetor: Cum enim Politici eſſent homines eloquentiſſimi, hinc evenit, ut quicunq; diſerti ſeſe facilè pro Politicis venditarent, ſive ambitione ſive aliis de cauſis, quæ multa & varia movent & impellunt homines. Conſilium autem ſuum facilè poterant tegere, quoniam non ignari erant prorſus ipſius artis, cujus ſe Magiſtros profitebantur: Diguſtârant enim, vel ligurierant potius aliqua de optimis & maximis hujus ſalutaris prudentiæ præceptis. Hæc verò è ſuis regiis theſauris Rhetoricæ, uti amicæ ſibi liberaliter ſervienti, potiſſimas opes, quas ipſa uſurpat & poſſidet, perquam munificè largitur, quoniam Rhetorica honeſta etiam ipſa eſt ſed tenuioris fortunæ, ideoq; opibus, tum Politicæ, tum dialecticæ, ſine invidia utriusq; utitur. Hinc apparet, quàm iniquè agat Orator, & quàm ingratè, qui campi ſui limitibus tranſitis regnum Philoſophiæ Politicæ malis artibus occupare conatur: Apparet, quantum ſibi ex Oratoribus multi olim ſumſerit, cum Politici tenerent clavum meliorum rerumpublicarum, ſi gubernatoribus remotis illi clavum aliive imperitiores tenerent. Non mirum, ſi navem fregerint. Invidiam vix effugerit, qui dicat, in ſimili hodie errore permultos eſſe, neq; id quis adeo cautè & fideliter exponet, ut ſuam ſententiam omnibus probet. Calumniabitur ſtatim aliquis: Vetus & bonum inſtitutum reprehendi, opinionem in lucem prodi novam. Nam Juriſperitis Remp. credi, vetus eſſe & bonum: novum eſſe & minimè ex uſu, ſi quis aliud moneat. Habentur enim hodie paſſim JCti Politici, neq; præter hos alii rectè conſulere in vulgus putantur imperio. Sed ita ſe res habet. A. cum ſalus civitatis ſit in legibus, nihil eſſe nobis earum interpretibus utilius, cenſendum eſt. Et ſunt illi colendi, ut Sacerdotes juſtitiæ & Politicorum Aſſeclæ & Conſiliarii. Qui enim JCtos vere Philoſophari modeſte affirmârunt, minime omnium ſuâ

opinione

opinione falſi fuerunt. Vere enim profectò Philoſophantur in explicatione Juſtitiæ. *Sapientes enim quum injuriâ & inæqualitate omnes hominum ſocietates perturbari viderent, & ſæpe diſſipari, legibus iſtas geſtes funditus tollendas & longiſſimè arcendas; contrà verò juſtas actiones & æqualitatem ſanciendas putârunt. Eodem reſpiciunt immenſa juris Interpretum volumina. Verùm pluribus quid opus eſt, præſertim in re manifeſtiſſima? Nemo inficiabitur, niſi barbarus & conſceleratus juris ſcientiam neceſſariam eſſe* Reip. Jctũ *item, multóq; magis, quàm* Medicũ *propulſandis morbis & tuendæ valetudini. Ejus autem partes cum in foro ſint, non in curia; non profectò ipſa eſt architectonica omnium commodorum & beatæ vitæ civium. Neq; obſtat, quòd hodie (neq; tamen apud omnes politas gentes neq; perpetuò)* Jcti *ſententiam in Senatu dicant: Hoc namq; faciunt non ut* Jcti, *ſed ut* Senatores, *ſeu* Politici. *Alioquin etiam non audiuntur, præſertim, ſi tenuiores ſint, & humili loco orti. Quin imò quamvis Sententiam in Senatu graviſſimam poſſint dicere, ſæpe tamen id facere non tutò poſſe videntur: Cum non ſolùm iras potentũ ſed Sycophantias quoq; leviſſimorum hominum metuant innocentiâ fortaſſe muniti, nudati autem cæteris præſidiis: Quod ſi audiantur, vix habent talium verba aliquid ponderis: Ea enim eſt inſcitia hominum, ut ex perſonis potius, quàm rebus ipſis æſtiment conſilium.* Senatores *itaq;, ut omnes ſui muneris partes expleant,* Politicos *eſſe oportet, non minus, quàm ipſos reges ac Principes. Eſt enim hæc ars, ſive Senatoria, ſive regia ſive principalis, bene mereri de mortalibus, amoliendis â civitate miſeriis non unius generis, & conciliandis ei conſervandiſq; bonis, non iis ſolum, quæ vulgus ob neceſſitatem & voluptatem ejuſmodi eſſe ſtatuit, ſed & melioribus, quæ verè bona eſſe judicat Sapiens: quoniam ut ſine illis nemo felix; Ita ſine his beatus nemo cenſebitur. Hoc cũ à* Jcto *nemo requirat, ſatis apparêt, aliud ejus eſſe munus, & Politici munus latiùs patere. Illius dignitas ma-*

gnaeſt, hujus etiam maxima: Illi propoſitum eſt mercedis ſatis; huic præter honorem & gloriam nihil: Hinc quanta eſt JCtorum *copia, tanta verorum* Politicorum *penuria. Neq; tamen hoc à me quis ita dictum accipiat, ut multi de me fortè ſuſpicantur & falsò judicant, quòd exiſtimem, fieri non poſſe, ut idem* JCtus *ſit & Politicus: Sic enim multas Reſp. multas regias præcipuis Politicis ſpoliarem. Profectò enim* JCtus *etiam præclarè ſuſtinere utramq; perſonam poteſt, modò ille non legibus ſolùm, ſed etiam multis aliis præclaris doctrinis inſtructus ſit, adeoq; omni civili prudentiâ comitatâ maximis virtutibus, quarum Princeps ſit beneficentia. At verò etiam, uti qui tantum* JCtus *ſit, non idcirco Politicus eſt; Sic etiam non quilibet Politicus ſe* JCtum *auſit profiteri: Sed ille hoc utitur, neq; eo carere poteſt penitus, neq; ignorat, ubi utatur: Vtetur autem, ut* Fabro Architectus *in ædificanda turri; ita* Politicus *in jure dicundo* JCto. *Sed ne longiùs efferar, & dictorum ſeriem copioſiùs perſequendo benevolentiam veſtram, (cujus auram ſuaviſſimam adhuc mihi ſpirare ſentio) onerare videar, deſino. Neq; enim propoſitum mihi nunc eſt, indicare quibus literarum adminiculis &* Oratori *&* JCto *omninò opus ſit, & quanta Philoſophia* Politico. *Hæc aliunde obſcura nõ ſunt. Eximii ingenii & excelſi animi Adoleſcens iis utatur, omneſq; ingenii nervos intendat, ut ſi non omnia illa; at pleraq; ſibi comparet, quæ triplex illud munus reſpiciunt, futurumq; ſperet, ut in uno horum, ad quod naturà provehatur maximè, excellat, in reliquis mediocris etiam habeatur, quo tandẽ cumq; ille appelletur nomine. Multa dixi.* A. *Sciens aliqua, plura neſciens: Sic enim exiſtimavi, non omnia debuiſſe nunc à me dici, quæ voluerim, niſi nugator videri cuperem. Neq; verò ipſe hîc laudem Sapientiæ affecto. Licet Tibi, licet mihi facere, quod rectum eſſe cognoverimus. Rectum eſt, non intempeſtivè nugari, nec ubi dicendi locus ſit, obmuteſcere; Rectum eſt* Suadam ſilentem & loquentem *colere, atq; à diſerto diſcernere nugatorem.*

DIXI.

Digitized by Google

Digitized by Google